

*Anima humana est ad Dei imaginem.*

tem quam unitatem cum illa ita sint in vna persona sicut in omnibus. Ad hoc respondetur secundum Scotorel. super. 1. di. 3. q. vlt. q. licet in qualibet persona sint ista tria, in non sunt in ea vt important realem distinctionē & originationē &c.

**S. 5.** **N O T A** pro exemplari documento, q. vt ponit Aug. & Magister dist. 3. primi. In predictis potentiis anime. scilicet memoria, intellectus, & uoluntate, sic est, q. eadē anima in numero tres istas habet potentias distinctas, sic quōd inter eas est ordo, est æqualitas, & est cōsubstantialitas. Primò inquam ordo inter hæc est, q. mens est parens, noticia intellectus est proles, & ab utroq; amor, uel uoluntas procedens. Itē secundò equalitas est: quia mens se tantū nouit quantum meminit & intelligit, & tantum se diligit quantum se nouit. Item tertio est cōsubstantialitas, quia secundum eundē Aug. 10. de Trini. istæ potentie sunt cōsubstantiales essentia anime.

**S. 6.** **S E R** quomodo in ista imagine anime sit similitudo vel dissimilitudo ad trinitatem diuinam. Respondetur secundū Guill. super 1. dist. 3. parte. 3. q. quauis similitudo sit in hoc quod in diuinis Pater, Filius, & Spiritus Sanctus sunt tres personæ inter se distinctæ in una essentia diuina: sic prædictæ tres potentie distincte sunt in eadem essentia anime.

Si autem petas, Quomodo distinguuntur istæ potentie ab anima, ex quo sunt idem substantialiter: Respondetur secundum eundem, quōd formaliter & quidditatiue distinguuntur: quia alia est definitio anime, alia intellectus, alia uoluntatis. Et quia secundum Scotorel. si vna potentia diffinitur, in eius diffinitione non ponitur altera. Deniq; quia aliquid cōpetit intellectui per se, quod non competit uoluntati: vt latius lib. 2. patet. Verum tamen dissimilitudo patens reperitur ad prototypū; vt dicit etiā Magister e. dist. 3. primi. Et Primò, quia in diuinis Pater est memoria, & Filius est intellectus, & Spiritus Sanctus est uoluntas, Capproprādo. Sed in nobis licet habeamus intellectum, memoriam, & uoluntatem; non tamen sumus ea. Vnde falsa est prædicatio, dicendo. Plato est sua memoria, Plato est sua uoluntas. Secundò, quia in diuinis ista tria de se mutuo prædicantur: vnde

ista est vera. Intellectus est memoria, & memoria est uoluntas in diuinis. In nobis autem non. Tertio, quia Pater producit Filium, & ambo Spiritum Sanctum. Sed in nobis licet memoria producat actū intellectus. Notuitiam: non tamen ambo producant uolitionē, sed sola uoluntas. Et istius dissimilitudinis ratio est: quia Pater quando producit Filium in diuinis, producit quandam personam per se ita rem eiusdem secum essentia, cui communicat fecunditatem uolitionum. Sed memoria in nobis quando producit intellectum, producit quoddam accidēs inhærens. Vnde dissimilitudo est magis dissimilitudo in predictis imaginibus.

**I T E M** queritur gratia prædicatorum. **S. 7.**

Vtrum istæ tres potentie in quibus est imago, sint distinctæ realiter tam inter se mutuo, quā etiā ab essentia anime. Ad hoc Tho. 1. per. q. 78. art. 1. dicit: q. potentie, anime huiusmodi distinctæ realiter inter se & ab essentia anime fluentes, sicut accidens a subiecto. Sunt tamen accidentia inseparabilia. Ratio eius præcipua est: quia actus & potentia sunt in eodem genere, sed actus harum potentiarū sunt de genere accidentis: ergo potentie sunt accidentia anime. Alia ratio: quia agens per essentiam semper agit: sed anima nō semper agit: ergo non est agens per essentiam, & per consequēs ergo potentia per quam agit non est sua essentia.

Sed hanc opinionē non tenent Scotista: quia est dare contra Aug. 10. de trini. c. 11. Hæc inquit tria, memoria, intelligentia & uoluntas, quoniam non sunt tres uita sed vna uita, nec tres mentes sed vna mens: consequenter utique non tres substantie sunt sed vna sublatā: & per totum capitulū diffuse probat hoc. Item ratio, quia ordinatum immediatē ad aliquem finē, debet immediatē attingere illum finem: sed anima immediatissimē ordinatur ad beatitudinem: ergo immediatē illum attingit: sed hoc non esset si attingeret per intellectum tanquā per accidens. ergo &c. Hæc Scotorel.

Ad rationes Thomæ. Ad primam dicit Scotorel. q. non concludit, quia equiuocat de potentia. Nam potentia accipitur, Vno modo prout est differentia entis, & sic distinguitur contra ens actū. Iste mo-